



Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cbris Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 9. Mirabilis potentia Christi, in hominibus persanandis, quos nulla vis
alia sanitati restituere potuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

64 Cap. III. Alia noui Testamenti exempla

A&t. 19. reperire , quam alibi nusquam reperissent ;
II. sed etiam hęc ipsa est fiducia in Deum, qui, si-
cut *virtutes non quaslibet faciebat, per manum*
Pauli , ita & per manum Petri , per manum
Matris suę, per manum Stephani, aliorūm-
que, & Apostolorum, & Martyrum, & Con-
fessorū, & Virginum facere consueuit. Neq;
hac re honor illius minuitur , sed augetur.
Nam quidquid per Sanctos petitur , ab illo
petitur ; & quidquid à Sanctis patratur , ab
illo patratur. Quippe quod quis per alium
facit, per se ipsum facere censetur. Et honor
seruis exhibitus , est honor dominorum.

§. IX.

Mirabilis potentia Christi , in hominibus perfa-
nandis ; quos nulla vis alia sanitati re-
stituere potuit.

Si omnia reliqua , desperatissimis in mor-
bis, à Christo allata remedia velim percense-
re, excrescit vel hoc libri caput, in volumen.
Cęcum quis vñquiam Machaon illuminauit ?
Illuminauit Christus , illuminauerunt San-
cti. Dæmonem , quis , virtute naturali , ex
hominibus expulit ? Expulit Christus , ex-
pulerunt Christi virtute Sancti. Omitto a-
lios quàm plurimos incurabiles morbos ab
Ioan. 5. 2. ipso curatos. Erat Ierosolymis Probatice pi-
scinas

cina, que cognominatur *Hebraicè Bethsaïda*, (hoc est, *domus misericordiæ*) quinq^u porticus habens, vbi ægroti (exclusis muro pecoribus & iumentis, ne accedere, & turbare aut profanare aquam possent) aquæ motum expectantes considerent. Igitur in his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium, non Hippocratem, aut Chironem aliquem, non *Panaces*, quod ipso nomine omnium morborum remedia promittit: numerosum, & dijs inuenitoribus adscriptum; vt Plinius refert; sed diuinatus factum aquæ motum. Etenim, D. Ambroſio teste, vt esset indicium, quia descendebat *Angelus*; aqua mouebatur; & instrumenti proprium est, vt nihil quidquam agat, nisi à principe cauſa motum: *Angelus enim Domini*, vtique bonus (cum non soleat Deus, ad procurandam hominum salutem, malos Angelos mittere) siue Raphaël, cuius nomen medicum sonat, siue alias Angelus, cuius officium fuit, sanare, descendebat secundum tempus; siue Paschæ, siue Pentecostes, siue præcipuorum, apud Iudæos, festorum, siue, vt probabilius est, secundum tempus hominibus incertum, alioqui non toto anno inibi expectaturis, certum autem Deo.

E scen-

Plin. lib.
25. c. 3.
S. Ambr.
lib. de ijs,
qui my-
sterijs in-
itiantur.
c. 4.

66 Cap. III. Alia noui testamenti exempla

scendebat autem secundūm tempus hoc in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquæ, sanus fierbat à quacunq; dictinebatur infirmitate. Sanabatur autē tantūm unus, vt appareret, non esse illā vim sanandi naturalē, sed diuinitus, ad momentum temporis, aquis impressam. Si enim natura aquæ id fecisset, semper fecisset. Siquidem ea, quæ natura fiunt, semper fiunt; vt ignis semper vrit; & acidulæ semper sunt acidulæ; thermæque semper fouent & calefaciunt. Accedit, aquæ vim illam datam, vt quacunq; etiam desperatissimam inualeitudinem restauraret. Sic ibi, diuino dono, inueniebatur, quod nusquam alibi, vel in Atticis fontibus Calliroe, vel in Bœotia Hippocrene, vel ipsa Acidalia scaturigo, in qua Gratiæ lauabantur, aliænū salubres vndæ dederunt. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset IE SVS iacentem & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, HO MINEM NON HABEO, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Ipse se iuuare non poterat, & H o-

MINEM

MINEM NON HABEBAT. Ecce ut, omni auxilio humano destitutus, diuinū sensit. Nam homo quidē, sed homo Deus ei succurrit. Dixit enim ei IESVS: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Multa hominū millia in vijs, in desertis, in mapalibus, in pagis, medico carent, & tamen non carent morbo; ut dicere iure possint: *Hominem non habeo;* sed Deū habent, quo solo auxiliante, possunt corporis vires recuperare. Et verò s̄æpissime, sine ullo medico, recuperant: quod tamen, cum toties contingat, pauci mirantur, multi etiam penitus non animaduertunt. Ah multi neque animæ habent medicum, quia Parocho destituuntur; vtinam scirent, se Deum habere, &, quando copia non est peccata confitendi, saltem contritione, & Deo super omnia amato, noscent culpas diluere! Noscent autem, si sciant, humano auxilio deficiente, non deficere diuinum, cui nulla mali diuturnitas potest obfistere; nulla vehementia aut difficultas obiciem ponere. Lazarum quatriduanū ex ipso sepulchro euocat; hæmorrhissam, per duodecim annos, ægrotam sanat; & alterā mulierem, quæ spitiū infirmitatis, annos duo-

Ioān. ii.

39.

Luc. 3.

43.

deuiginti habuit, morbo liberat; hunc denique, triginta octo annos, in porticu & paralyssi iacentem, post tot hyemes, erigit. Sed erigit, tanto tempore, patientissima spe, perseuerantem; & erigit extemplò; nam, dictum factum, quippe *statim sanus factus est homo ille.* Enim uero adeò sanus factus est, ut illico sustulerit ipse *grabatum suum*, nouus Atlas factus. Ex quibus omnibus enumерatis exemplis clarum fit, quām diuersa sint diuina iudicia ab humanis? cūm toties Deus iudicet manū porrigendam ijs, quos homines esse deferendos iudicauerunt; quorum vtrumque docet, nec nimiam in hominibus fiduciam collocandā, nec vñquam Deo diffidendum. Hoc est, quod veteri proverbio dicitur: *Dens de machina:* stat enim ille pro nobis inuocatus, cum nos etiam in extrema regula stamus.

C A P V T. IV.

Exempla prouidentissimae, in homines, diuinæ Bonitatis, circa alimenta.

§. I.

Tentatio, ac solicitudo hominum, pro pane quotidiano, quo modo curanda?

Quæ